

can. iv, dicit: « Liberum arbitrium esse motum, et excitatum. » Non dicit mentem, sed arbitrium, quod est voluntas, et hæc non solum excitata est, sed et mota; excitatio autem est per cogitationem, motus autem per subministrationem Spiritus in voluntatem: nam si ly motus intelligeretur de sola motione morali, quæ fit per cogitationem in arbitrio hæc in ipsa excitatione involvitur, et sic ly excitatum et motum essent idem in libero arbitrio, de quo loquitur Concilium, licet in mente illa sit excitatio a motu voluntatis, sed liberum arbitrium excitatum est recipiens motum excitationis a cogitatione. Si ergo ly motum est idem quod motum moraliter, est idem quod excitatum a mente, et sic motum et excitatum in libero arbitrio esset idem quod excitatum, et excitatum. Plura de hoc dicemus infra disputatione quinta, agentes de efficacia decreti divini.

XL. Sic ergo quando Augustinus dicit in libro illo de spiritu, et littera citato quod: « Visorum suasionibus agit Deus, sive per revelationes evangelicas extrinsecas, sive per illustrationem intrinsecas, » optime dictum est, quia explicat ibi gratiam Dei, ut vocantem, et illustrantem intellectum, et excitantem. Quando autem dicit quod: « Consentire vel dissentire, propriæ voluntatis est, » debet glossari, propriæ voluntatis est adjunctæ subministratione Spiritus, quæ est aliud donum a cogitatione suadente; et tunc tali voluntate propria sic, adjuncta, et spirata, venit, seu consentitur Deo vocanti, et visorum suasionibus agenti. Si enim sola suasionem visorum, et sola media cogitatione Deus ageret, et gratiæ vim in ea constitueret, Augustinus sibi ipsi contradiceret, qui in libro de gratia Christi, e. x, dicit: « Ad doctrinam pertinet cum suadetur omne quod

bonum est: et si inter docere, et suadere, vel potius exhortari, distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuscumque sermonibus vel litteris continetur. » Ecce quomodo suasio, si sola sumatur, ut tenet se ex parte intellectus, etiam in eo in quo videtur distingui ab eo quod est docere, adhuc dicit Augustinus sub doctrinæ generalitate concludi. Gratia autem quam Augustinus ponit contra Pelagium, non est sola doctrina, nec doctrinæ generalitate concluditur, sed debet addere subministrationem Spiritus in voluntate: ergo cum Augustinus dicit visorum suasionibus Deum agere, et voluntatis proprium esse consentire non est intelligendus de nuda, et sola suasionem, ex parte cogitationis, et illuminationis, nec de sola voluntate, sed etiam de voluntate adjuncta, et suffulta aliquo adjutorio illi immediate imprimente, et subministrante Spiritum. Quod utique in eodem libro de spiritu et litteræ, e. iii, expressit Augustinus: « Nos dicimus, inquit, humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis præterque doctrinam, qua ei præcipitur quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum sanctum quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius, et incommutabilis boni. Nam neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via. Et cum id quod agendum, et quo nitendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet, et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, charitas Dei diffunditur in nobis, non per liberum arbitrium quod surgit in nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » Ecce manifestam Augustini mentem quod adjutorium volunta-

tis non solum debet per viam intellectus, et cogitationis diffundi, sed immediate a Deo subministrari, et imprimi voluntati, quia non sufficit non latere nos quod agendum est, quod utique ad cogitationem, et intellectum pertinet, sed requiritur quod delectet, et ametur, quod manifeste ad voluntatem pertinet. Et ad hoc dicit nobis dari Spiritum sanctum et diffundi charitatem: ergo suasio, et vocatio, et auxilium Dei moventis, non solum per manifestationem seu non latentiam objecti in cogitatione sancta, quod totum moralis motionis est, sed per immediatam diffusionem in voluntatem, quod charitatis est, agit in nos, et sic non solum visorum suasionibus, sed etiam subministratione Spiritus agitur voluntas.

XLI. Et hinc manet explicatus tertius locus, qui adducitur ex Augustino; requiritur enim ad bene agendum certa scientia (quod ad sanctam cogitationem pertinet) et victrix delectatio, quæ non est sola objecti delectantis allicientia, et motio moralis, sed etiam diffusio, et impressio Spiritus in voluntate, ut id quod per certam scientiam proponitur, et allicit sui præsentia, a voluntatis affectu suscipiatur per Spiritum, non solum moveatur per cogitationem, seu apparentiam sui, ut ex loco nuper citato ostendimus.

XLII. Quod attinet ad secundum locum ex libro primo ad Simplicianum, facilis est sensus, quod vocatio ex parte intellectus quia multi vocantur, esse potest una, sed affectus et dispositio, temperatioque voluntatis dispar; sed hic affectus, et temperatio, si est bona, et ad sequendum vocationem extenditur, non est solo libero arbitrio prævisio, cum illa morali motionem suggestio nis, sed per subministrationem Spiritus adjuto, et suffulto, ut ex Augustino vidimus. Itaque congruitas

liberi arbitrii ad vocationem non est sola congruitas moralis motionis, nec sola congruitas præsupposita ex parte voluntatis, sed ab ipsa gratia facta, et subministrata. Et hanc semper supponit Augustinus etsi non semper explicet; et tamen adhuc in illo ad Simplicianum, congruitatem hanc, et aptitudinem explicavit Augustinus provenire ab ipsa gratia, seu ab ipso Deo, quatenus applicat voluntatem ad credendum, et bene operandum, dum ita concludit, dicens: « Cum ergo alius sic, alius sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio non moveat, quis audeat dicere defuisse Deo modum, quo Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est? » In hoc ergo constituit Augustinus congruitatem vocationis, quod per gratiam applicat Deus mentem, et voluntatem conjungit ad eam fidem, qua justificari possit. Non ergo tota vis reducitur ad cogitationem, ut excitantem, et motum subditum in voluntate causantem, sed ad applicationem Dei, qua mentem applicat, voluntatemque conjungit ad fidem, quæ applicatio, et conjunctio importantur in ipsa causatione divina. Et quando docet Augustinus quod licet vocatio sit una, tamen quia non omnes uno modo sunt affecti, ideo non omnes vocationem sequuntur, ly affecti non intelligitur solum de affectu præsupposito in voluntate, quando tendit ad bonum, sed de affectu causato, et facto, per ipsam gratiam, quæ mentem applicat, voluntatemque conjungit ad fidem; ut enim dicit ipse Augustinus epistola cvii: « Gratia sic prævenit hominis voluntatem, quod non invenit eam cujusquam in corde, sed facit. » Ergo temperatio, seu congruitas voluntatis non prævisa supponitur a gratia, sed fit et causatur.

XLIII. Cæterum pro parte Vazquez adhuc responderi potest, quod Pelagius agnovit quidem gratiam internam ex parte illustrationis, et sanctæ cogitationis, sed solum ad facilius, ut supra ex eodem Vazquez referebamus: ergo simpliciter gratiam internam Christi non est confessus, vel secundo, quod Pelagius non agnoscebat gratiam aliquam tangentem voluntatem, sed solum illustrantem intellectum, et ex parte doctrinæ, et legis se tenentem. Sancta autem cogitatio quam ponit Vazquez est illa, quæ voluntatem tangit, et spirat affectum, et tali pacto modificatur a Deo, et temperatur voluntati, ut eam moveat, quam contemperationem Pelagius non agnovit. Tertio, quod non loquitur Pelagius de ipsa cogitatione movente voluntatem, et agente illam, sed solum admittit quod objecto interius proposito movetur voluntas, quod est ponere gratiam in doctrina, aut lege, quæ sunt res proposita, non in ipsa cogitatione, quæ etiam agit in voluntatem. Denique, Augustinus non docet contra Pelagium dari præter cogitationem bonam aliquam applicationem in voluntate determinantem illam, sed quod aliqua virtus, seu vires subministrantur voluntati ad operandum, quod pertinet ad auxilium sufficiens, quod Vazquez non negat requiri in voluntate, licet non illa applicatio ultra sanctam cogitationem moventem, et applicantem moraliter.

XLIV. Nihilominus hæ solutiones nihil elevant doctrinam a nobis traditam. Non prima, tum quia Pelagius non omnem gratiam, seu auxilium pro omni generalitate sump-tum dicebat requiri solum ad facilius, sed etiam aliquam simpliciter requirebat, scilicet legem, et doctrinam in qua includi debet aliqua cogitatio sancta, quia nihil potest esse volitum quin præcognitum, seu præ-

cogitatum, et solum ponebat gratiam ad facilius, illam quæ specialem addit notitiam, seu cognitionem ex revelatione Spiritus sancti, ut jam supra circa primam moderationem Pelagii annotavimus, quo etiam sensu intelligi debet quod in eodem libro de gratia Christi, c. xli, in fine dicit Augustinus quod: « Etiam ipsa ostensio, et monstratio viæ, qua nobis eundum est, contendit Pelagius sola posse natura inveniri, sed facilius si adjuvet gratia. » Tum etiam quia non solum Augustinus impugnat in Pelagio quod gratia detur solum ad facilius, sed etiam impugnat, quod gratiam illam, quæcumque sit, et quæ ad facilius datur, solum dicat ad cognitionem, ad revelationem, vel suasionem pertinere, et non ad subministrationem Spiritus in voluntatem; ergo non sufficit ad tollendum dogma Pelagii dicere quod gratia datur ut simpliciter necessaria, et non solum facilius, sed etiam oportet fateri quod illa gratia, quæ simpliciter est necessaria, non solum pertinet ad cogitationem et doctrinam, sed etiam ad subministrationem Spiritus, et ad distinctum donum quo diffunditur charitas Dei in nobis, ut ex supra dictis constat; et videri potest Augustinus, libro de gratia Christi c. xl, ubi utramque in Pelagio impugnat, et quod dixerit dari gratiam ad facilius, et quod hoc quæcumque adiutorium in scientia et revelatione per doctrinam constituerit. Accedit quod Pelagius, ut in illo libro, c. ii, dicit Augustinus, fateretur gratiam ad singulos actus dari: gratia autem ad facilius, non potest requiri ad singulos actus, quia si solum est ad facilius saltem qui difficile fiunt, sine illa fiunt, et sic non ad singulos datur: ergo non hoc solum impugnabatur ibi ab Augustino, quia ad facilius requiritur, sed supponendo quod ad singu-

los actus datur, de hoc præcipue impugnabatur, quia non in sola cogitatione deberet poni, quia sic reduceretur ad doctrinam, et suasionem tantum, sed in alio dono, quod immediate diffunditur, et tangit voluntatem.

XLV. Secunda etiam solutio manifeste excluditur ex superius dictis, cum aperte diceret Pelagius per illam revelationem sapientiæ, et præmiorum pollicitationem stupentem suscitari voluntatem a Deo, ut libro de gratia Christi, c. x, affert Augustinus. Non ergo ita præcise sistebat in intellectu illa illustratio Pelagii, quod non etiam tangeret per illam, et excitaret voluntatem. Nisi forte dicatur excessisse Pelagium in hoc quod illam cogitationem sanctam non solum ad primum et subitum motum voluntatis, sed etiam ad consensum et operationem ipsam bonam sufficere judicabat, quod est per aliud extremum non sistere illam cogitationem in intellectu, sed multum extendi, et sufficere ad voluntatem. Cæterum cum etiam Vazquez dicat eandem esse gratiam operantem, et cooperantem, et comitantem, quæ primo nos excitat, et in nobis permanens liberum efficit consensum, non potest hoc effugio uti, quia etiam apud ipsum sancta cogitatio, qua mediante Deus nobiscum cooperatur, usque ad liberum consensum extenditur, dum in nobis permanet, et permanendo cooperatur.

XLVI. Tertia solutio nihil valet; nec enim potest hic distingui de motione medio objecto, vel media cogitatione, cum non moveat nos objectum, nisi cogitatum, et per cogitationem fit motio, proponendo scilicet et alliciendo per objectum. Nec Pelagius negabat istam cogitationem in nobis operari, nec distinguebat eam ab objecto, ut hoc diceretur movere, non illa; expresse

enim dicit Augustinus citato libro, c. xxvi, contra Pelagium: « Cogitationem et dilectionem ut sunt discernenda discernat, quia scientia inflat, charitas autem ædificat, et cum utrumque sit donum Dei, etc. » Ergo cogitationem pro gratia agnoscebat, non autem solum de objecto loquebatur. Unde ipse Augustinus ibidem c. xiv: « Quando Deus, inquit, docet non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, etc. » Videre autem, et cognoscere non est objectum, sed actus cogitationis, et cognitionis. Et denique ipse Pelagius, ut refert Augustinus eodem libro, c. vii, dicebat: « Adjuvare nos Deum per gratiam suam, dum cordis nostri oculos aperit, et diaboli pandit insidias, etc. » Et c. x: « Dum suadet nobis omne quod bonum est. » Apertio autem oculorum non fit sine actu visionis, et suasio ad omne bonum fit, nisi cogitetur, et attendatur id quod suadetur. Non ergo sic dicebat Pelagius nos moveri ab objecto, quod non a cogitatione.

XLVII. Denique, quarta solutio non est ad rem, quia Augustinus non solum affirmat contra Pelagium debere nobis per subministrationem Spiritus dari vires, quibus possimus operari, sed quibus de facto operemur, et vocanti Deo consentiamus; auxilium autem sufficiens dat posse, non vero dat ut de facto operemur. Non ergo loquitur Augustinus solum de subministratione virium sufficientis auxilii, sed de illa applicatione, seu motione qua de facto facimus. Dicit enim libro citato de gratia Christi, c. xiv, repellens illud dictum Pelagii, quod Deus per doctrinam solum nos adjuvat, et quod possibilitatem, seu posse nostrum adjuvabit, non operationem ipsam, seu volitionem:

« Et ista, inquit, divino docendi modo, etiam ipsa voluntas et ipsa operatio, non sola volendi, et operandi possibilitas adjuvatur. Si enim solum posse nostrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dominus: Omnis qui audivit a Patre et didicit, potest venire ad me. Non autem ita dixit, sed: Omnis, inquit, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Venire posse in natura ponit Pelagius, vel etiam ut modo dicere cœpit in gratia, qualem libet eam sentiat, qua ipsa, ut dicit, possibilitas adjuvatur, venire autem jam in voluntate, et opere est. Sed omnis qui didicit a Patre, non solum potest venire, sed venit, ubi jam et possibilitatis profectus, et voluntatis affectus et actionis effectus est. » Ubi manifestissime liquet, nec Pelagium sufficientem gratiam negasse, quia ipsum posse venire (quod posse sufficientis auxilii est) etiam ut modo dicere cœpit, in gratia posuit, nec Augustinum subministrationem virium, quæ solum constituerent posse (quod pertinet ad sufficientis auxilium) posuisse contra Pelagium, sed subministrationem virtutis, et Spiritus, ut de facto operemur, quia non solum Deus docet ut venire possimus, sed ut de facto veniamus ad Christum. Et ita ut ipse Augustinus dicit eodem libro, c. XLVII, tota difficultas cum Pelagio non erat circa posse, quod est sufficientis auxilii, sed circa agere: « Si consenserit, inquit, nobis non solum possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat, sed ipsam quoque voluntatem, et actionem, id est, ut bene velimus, et bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando vult, et bene agit, si, ut dixi, consenserit etiam istam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, nihil de adjutorio gratiæ Dei controversiæ relinquetur. »

XLVIII. Ex his solvuntur loca quæ supra Suarez attulit ex Augustino

ad probandum non agnovisse Pelagium veram gratiam internam excitantem: nam ad id quod dicit de Massiliensibus ex libro de prædestinatione sanctorum, c. 1, ipsos discessisse a Pelagio in hoc quod gratiam excitantem agnoscebant, non Pelagius, respondetur Massilienses, ut constat ex eodem Augustino et ex epistolis Prosperi, et Hilarii ad ipsum, dicebant voluntates nostras præveniri a gratia divina ad bona opera, non tamen ad initia bonorum operum, id est, ad desideria, ad fidem, ad orationem, etc. qua petimus a Deo gratiam, distinguentes inter initia operandi, et ipsum operari. Quando autem dicebant nos præveniri gratia Dei, non quidem ad illa initia, seu ad credendum, sed ad bene operandum, illam gratiam prævenientem, seu excitantem fatebantur Massilienses eo modo, qui in Ecclesia Dei asseritur, et ipse Augustinus docebat, scilicet illam quæ non solum illustrat intellectum, sed etiam Spiritum ministrat voluntati. Pelagius autem non agnoscebat gratiam prævenientem, seu excitantem, quæ reluctanti voluntati studium virtutis immitteret, et per subministrationem Spiritus voluntati imprimeretur non solum ad credendum, sed nec etiam ad bene operandum.

XLIX. Ad alium locum ex libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, c. XIX, ubi dicit Augustinus Pelagium non dixisse hominem excitari Dei gratia in bonum, sicut in malum diaboli suggestionibus incitatur, respondetur verum esse quod negabant discipuli Pelagii (quorum sunt illa verba, quæ ibi refert Augustinus) voluntatem excitari in bonum a Dei gratia, seu potius, ut ibi dicit Augustinus in excitanda voluntate nihil dicebant gratiam Dei operari, quia videlicet negabant Deum subministrare Spiritum vo-

luntati, et ei adhuc reluctanti studium virtutis immittere, et hoc in eis impugnat Augustinus, licet non negaret Pelagius per revelationem, et illustrationem interiorem (quod pertinet ad cogitationem mentis) stupentem voluntatem suscitari in desiderium Dei, ut alio loco Pelagius dixerat, et ex Augustini libro de gratia Christi, c. X retulimus. Itaque vult Augustinus quod sicut incitationem diaboli, quæ sola suggestionem fieri potest, et propositionem extrinsecam fatebantur, ita excitationem Dei faterentur, quæ per subministrationem Spiritus intra voluntatem operatur.

L. Nec Pelagius, cum dixit suscitari voluntatem stupentem in desiderium Dei, loquebatur solum de desiderio simplici, et inefficaci, sed etiam de illo, quod ordinatur ad consensum, quia ad hoc stupentis voluntatis suscitationem ponebat, ut operaretur voluntas id quod sanctum est, et vellet quod sanctum est, ut eo loco, scilicet libro de gratia Christi, c. X refert Augustinus, operari autem, et velle quod sanctum est, consensum importat, et liberum velle efficax, non solum simplex, et inefficax desiderium.

ARTICULUS III.

Quid Pelagius de simultaneo concursu dixerit, et de sufficienti auxilio, quid item aliqui ejus discipuli?

I. Licet confundi sæpe soleat nomen divini concursus, et auxilii, stricte tamen, et in rigore loquendo, concursus magis significat simultaneum influxum simul cum causa in effectum, auxilium vero significat influxum in ipsam causam, quatenus forsitan vires ei præbentur, vel quæ sunt in ipsa conservantur, et

roborantur, vel motio aliqua, seu applicatio ad operandum imprimatur. Unde simultaneus concursus, non tam efficax quam efficiens dici potest, nec datur ad præparandam causam inferiorem, aut ejus defectum tollendum, et infirmitatem adjuvandam, sed cum præparata causa, et operante simul influit in actum, vel in effectum, propter dependentiam ipsiusmet actus, aut effectus in ratione ejus creati a Dei influxu, sine quo nulla entitas stare potest. Et ideo concursus simultaneus generalis dicitur propter generalitatem, et transcendentiam ipsius entitatis creatæ, quæ generaliter loquendo dependet ab influxu Dei, et ita cum ipse actus causæ creatæ, et voluntatis nostræ, et effectus ex operatione causatus sint entitates creatæ, necessario ab influxu Dei dependent, et concomitantur cum, ipsa causa creata influente, debet influere Deus. Quare non pertinet ad hunc concursum simultaneum perficere, vel applicare causam inferiorem, sanare, aut roborare voluntatem nostram, aut ex nolente facere volentem, et duritiam ejus tollere, vel impedimenta ad operandum, sed omnia ista supponit, et cum operante seu influente causa secunda influit etiam Deus, non tam propter ipsam causam inferiorem, quam propter ipsius effectus dependentiam in esse suo a Deo, sicut cum duo trahunt lapidem non alter alteri præstat vires, aut præparationem, sed uterque simul facit effectum. De hoc ergo quærimus an negaverit illum Pelagius, negando omnem gratiam Dei, præsertim in initio hæresis suæ, an vero solum negaverit gratiam, quæ ipsi causæ necessaria est propter ipsam sanandam, perficiendam, aut applicandam ad agendum, non vero dependentiam effectus a Deo negaverit.